

www.e-rara.ch

Guidonis Ferrarii Opusculorum collectio

Ferrari, Guido

Lugani, 1777

Biblioteca Salita dei Frati, Lugano

Shelf Mark: BSF 4 Ia 3

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-12430>

Nadastius.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

NADASTIUS.

Venio nunc ad summum virum; atque etiam honoratior nescio an ullus hoc extiterit bello: nam quod multi voluerunt, pauci potuerunt, huic contigit, ut pristinam illam præclaram auctoritatem & famam bello Patriæ suæ restitueret.

Sine dubio magna Pannonicorum natio, & manu fortis semper est habita; eorumque res gestæ litterarum monumentis sunt traditæ cum nominibus clarissimorum Ducum; sed a multis ætibus Pannonia non habuit tantum nomen, quantum post Nadastrum ducem, quæ usque eò crevit, ut ex omnibus populis esse possit, qui æquiparetur, qui antecedit nemo.

Hic in nobilissima ortus familia majorum famam gloria superavit. Priori bello, quod post Caroli VI. Aug. mortem erupit, res multas memoria dignas gessit: illud inprimis, quod triennio post cœptum bellum cum Carolus Lotharingus Princeps exercitum adduxisset ad Rhenum, hic primus trajecit, & exercitui flumen explicavit.

Adversam omnem ripam duobus obsidebant exercitibus gemini imperatores veterani Coniacus (1), & Sechendorfius: nihilominus Lotharingus rem Nadastrum commisit. Atque ille deductis secreto litribus ad oppidum Schrechiem, noctu alteram ripamprehendit, emissaque Pannonicorum manu in adversarios, qui non præcul præsidia agitabant, improvise impetu legiones tres perculit, & fugavit. Postea ponte Rhenum junxit, eoque in Alsariam exercitus introiit.

Ejus-

(1) Coigni.

Ejusdem tum virtute Lautemburgianæ munitiones captæ , Vaissemburgium in deditionem acceptum , Paltzburgiani saltus infessi , aditus hosti ex Lotharingia irrumpendi in Alsatiam præclusi , Tabernæ (a) occupatæ , Arcurtius , qui contra cum magnis venerat copiis , mulctatus , coactusque regredi . Multa alia eodem bello in Germania , & Italia præstitit , quæ consulti prætereo : neque enim est consilium Nadastii factorum historiam texere , sed exhibere exemplum magnitudinis animi , imaginem veteris fortitudinis . Hoc nunc satis fuerit dicere , Nadastium illo bello apud omnes gentes famâ crevisse .

Itaque ad secundum bellum Borussicum tanta accessit commendatione nominis , cum omnes nobilissimi ducis præstantiam cognoscerent , ut initio statim prosperi spem belli post Daunium etiam in illo ponerent . Huic egregie fortis , & magnus erat animus , acre & callidum ingenium , mens erecta , semperque alta cogitans : idem numquam remissus , multum belli laborum patiens ; nisi re confecta horam quieti non tribuens ; minime multa loqui : plus facere , quam dicere ; de instantibus acerrime iudicans , callidissime de futuris conjiciens ; audax , manu strenuus ; neque minus in rebus gerendis promptus , quam in excogitandis habebatur .

Ex his elucet præcipue virtus ejus in prælio , quod apud Cotemiciam fuit , ubi fidente maxime Rege , & præliorum , quæ plurima , & secundâ plerumque fecerat fortunâ elato , Borussi alienissimo sibi loco , contra Austriacis opportuno conflixerunt . Calente prælio admonitus , ut cum subsidiis , quibus præerat , aciei succurreret , laboranti ob ferociam hostium , qui pluries pulsi , neque eo minus pertinaciter dabant impetum . Nadastius , quæ minus videbatur posse , erumpens ad eorum lævam fumo contextus accessit ; jussisque suis rem ferro conficere in adversos incur-

(a) Saverne ,

incurrit. Id novum, & inopinatum aspero prælio intentis accidit; itaque non sustinuerunt, magnoque numero cæsi sunt. Qua secunda usus fortuna exercitus nutantibus institit, omnesque in fugam coniecit pulcherrime victoria parta. Tum primum Fridericus Rex victus est.

Cotemiciana clade percussa est Regis potentia, qui si viceret, Princeps erat totius Germaniæ: namque etiam, antequam bellum esset, ejus auctoritas, mentisque magnitudo plerisque Germanicarum Civitatum dominabatur consiliis, ut illi contraire nemo facile auderet; sed Borussici nominis imperiosa majestas hoc labefactata est prælio.

Postea Nadaastius profuse fugientes insequens nullum illis sui recolligendi spatium dedit; eoque major facta est clades, auctus etiam captivorum numerus, & plura relata signa. Prægâ obsidione liberata deinceps nunquam discessit a Rege, cujus copias suis prædiis impediit, stationibusque obsepsit, ut neque eodem tuto manere, neque discedere facile, aut commeatus adducere, nisi cum magno possent periculo.

Hoc eo illustrius videri debet, quod levibus Pannonicorum copiis plerumque rem confecit. Sed ille diligentia, usaque eas adduxerat in consuetudinem cum legionariis dimicandi, ut jam cum veteranis Regis congregari non dubitarent, & manus ex æquo conferrent. Ac tantum eorum virtus valuit, ut quotiescumque imperarentur, si modo Nadaastius duceret, audacissime aggredierentur multo etiam majores copias: erat enim persuasum omnibus se hoc duce nihil non posse efficere. Et Nadaastius cum his expeditis cohortibus sæpe hostibus obviam profectus est, sæpe Regis itinera interceptit, ubique, qua occasio se daret, opes debilitavit adversariorum, quibus fere terrore erat ipsum Nadaastii, & Pannonicorum nomen: usque adeo venerant in opinionem virtutis.

Neque vero a Legionariis hic minus colebatur, atque eorum

rum opera saepe fortiter est usus; sed praecipue in Lusatia haud procul Gorlicio, ubi loco editiore, & munitissimo castra fecerant Beverenius Princeps, & Vinterfeldius Regis Duces. Eorum enim alterum iussus aggredi tantam, tamque promptam habuit virtutem militum, ut difficultate loci, & periculo non territi magno ardore involarint in munitiones hostium, rejectisque telis gladio in adversos irruerint, quorum magnam partem cum duce ceciderunt.

Beverenii manebant Legiones, magnaue erat spes obruendi jam morte Vinterfeldii percussas. Nadastius maxime nitebatur, ut nullo interposito spatio victor exercitus Beverenium adoriretur, aut motis celeriter castris praecuparet Silesiam ingredi, quae fere erat praefidiis exuta, & Vratislaviae (1) potiri. Sed visum est exercitus incolumitati consulere, ne tam magnis itineribus, & expeditionibus defessum labor assiduus frangeret: aliae etiam intervenerunt causae. Ea mora illata Beverenius mire diligenti protectione evasit in Silesiam, priorque Vratislaviam occupavit. Proxime insecutus est exercitus, & Nadastius Suidnicium (2) obsidione clausit: quam adortus expugnare, arcem munitissimam, praeterea defensam numero militum, paucis diebus in suam redegit potestatem.

Ea capta Carolus Lotharingus Princeps, qui summo cum imperio exercitui praeerat, motis signis aggredi cum statuisset castra, quae apud Vratislaviam Beverenius fecerat, in quibus Borussi maximis protecti munitionibus se tenebant, cum reliqui aliis adorirentur locis, Nadastius traditam sibi partem ad invadendum primo impetu transcendit; repugnantes caede facta disjecit, secutaque est Vratislaviae obsidio, ad quam ipse dux delectus est: atque is urbem statim ad deditionem compulsi-

Diffi-

(1) Breslavia.

(2) Serveinitz.

Difficile est omnia persequi, diligentiusque singula explicare; neque vero necessarium. Illud tamen non est reticendum de hujus viri gloria. Hic usque eò commendatione virtutis, & celebritate nominis ubique gentium nobilitatus est, ut ex longinquis Regnis multi ejus appetiverint amicitiam, pictam illius tabulam exquisierint; & clarissimi viri ad vivum expressæ imagines tota passim circumferrentur Europa. Re enim vera fuit talis dux, & tantum animi, ingeniique opinione excellens, ut non solum cum primis suæ ætatis compararetur, sed multis natu majorum anteponeretur. Igitur omnes honores, & imperatoriam dignitatem est consecutus.

Sed consilio, & fide in primis præstitit. Documento fit, quod M. Theresia Aug. eum amplissimis donatum litteris, & Proregis nomine (Banum sua eorum lingua vocant) præfecit Liburniæ, quam Croatiam nominamus. Cum enim tertium Borussicum Bellum magnis viribus administraretur propter adversarii Regis magnitudinem exercituum, summamque scientiam rei militaris maxime Pannonicorum, & præcipue Croatum copiarum evocatae sunt, quorum experta virtus etiam superiori sæculo Austriacum defendit imperium, magnumque ad victoriam momentum attulit Nortlingensi prælio.

Quam ob rem M. Theresia Aug. non minus Nadaastii operam absentis fore utilem tanto putavit bello, si tali viro, eâ nominis famâ, rebusque tot gestis nobili summam imperii in Croatia traderet, cujus acui præsentia virtus posset Provinciæ clarissimæ. Atque ille expectationi Augustæ pari se fide præbuit: namque ejus opera non solum magna quotannis auxilia ad exercitum ex Croatia venerunt, quamdiu bellum fuit, sed disciplina militari sic instructa, ut neque audaciores copiarum, neque exercitatiores, aut magis dicto audientes esse possent. Igitur æque absens, ac præsens nocuit Regi, atque hoc magis ejus inclaruit gloria.

Sed ille rerum gestarum cum aliud præmium non quæ-
ret præter fidei, virtutisque suæ conscientiam, postremo pul-
cherrimum etiam fructum tulit, quod nescio an illi venisset in
mentem optare. Cum enim Isabella Parmensis nupta Josepho
Archiduci Austriæ, qui Cæsar est paulo post factus, jamque
Augustus florentissime regnat, Viennam solemni deduceretur
pompa, & Optimates magno numero præirent splendidissimo
equorum, & pedissequorum famulatu, hic non aberat in co-
mitatu. Qui etsi in publicum prodisset non usus exquisitiore
cultu, quam solebat, tamen oculi infinitæ multitudinis, quæ
ex Germania, Gallia, Italia veluti ad spectaculum oculis fruen-
dum convenerat, & omnium ad illum nutus convertebantur;
atque ut progrediebatur, magnæ excipiebant salutationes om-
nium ordinum Nadastio summo viro, Imperatori fortissimo
gratulantium.

Idem non post multo cum graviter decubuisset, tantus Fa-
milie Augustæ, & omnium mæror fuit etiam in remotissimis
regionibus vulgato ejus periculo, ut satis intelligi posset, ho-
minum voluntates suffragari virtuti, orbemque terrarum nulli
amiciozem fieri, quam viris virtute præstantibus.